

ceptantibus, & imposterum recepturis sub poena perditionis Civitatis, terræ, castris, seu loci, in quo dictum homicidam receptaverint, necnon mille florenorum auri, quos Cameræ Apostolicæ, dum secus actum fuerit, applicari volumus, per Apostolica scripta præcipimus, & mandamus, ut homicidas hujusmodi juxta tenorem & formam statuti, constitutionis, & ordinationis prædictorum, ad omnem Senatoris prædicti, vel alterius ipsius nomine requisitionem absque morâ, dispendio præsentare festinent cum effectu.

Hæc litteras Valvis Capitoli jubet affigi.

§. 4. Ut autem prædicta ad communem singulorum notitiam deducantur, ne de eis ignorantia prætendi valeat, seu etiam allegari, presentes litteras Valvis Capitoli Almæ Urbis mandavimus fecimusque affigi, ut quasi quodam sonoro præconio, & patulo indicio ad omnium notitiam valeant pervenire, decernentes auctoritate prædicta, ut hujusmodi litteræ, ut præfertur, affixæ & publicatæ omnes, quos concernunt, perinde ardeant, ac si eis forent personaliter & præfentialiter intimatæ, cum non sit verisimile, apud eos remanere incognitum, quod tam patenter extitit omnibus intimatum.

Clausula.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, & ordinationis infringere &c.

Dat. die 1. Septembris 1425. An. VIII.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, Kalendis Septembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

XIX.

Institutio Studii Generalis in oppido Lovanii tunc Leodiensis, nunc Mechliniensis Diocesis & Ducatus Brabantie cum Privilegiis, & gratiarum largitione, ac nonnullorum statutorum præfinitione.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Sapientie immarcescibilis, cujus inextinguibile eradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus omnem habens vigorem, & virtutis altissimi dispensator, omniumque christum largitor ipse Dominus ad hoc suæ miserationis dignatus est nobis licet immeritis sponse suæ universalis Ecclesie regimen pia dispensatione commisit, & nostræ debilitatis oculo jugum imposuit apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi, tanquam de supremo vertice ad infima mundi protoplastique posteris, qui non navitatis deprecantur fructus, sed intelligentiæ spiritu eandem, cujus initium verissima est disciplina concupiscentia, perfringendi sapientiam divinis adducantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandis mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid statui conveniat fidelium quorumlibet prospiciamus attentius, & qualiter a fidelibus ipsis,

profugatis ignorantie tenebris, illi post supereminentiſſimam summi opificis notione per ejuſdem sapientie donum in via mandatorum directi veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes, eo ad quærendum ipsius sapientie alimenta litterarum studia, per quæ divini nominis, & ejuſdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesie Respublica in spiritualibus & temporalibus cum animarum salute geritur, pax & tranquillitas ubilibet solidantur, omnique conditionis humane dilatatur prosperitas, nostræ provisionis, sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis viri Joannis Ducis Brabantie, ac Præpositi, Decani, Scholastici, & Capituli Ecclesie S. Petri, necnon Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in Ducatu Brabantie, & aliis dominiis ipsius Ducis, necnon etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi, & Tornacensi Diocesis, cæterisque ibidem circumvicinis partibus & dominiis multis famosa & insignia loca populo Christiano, & rerum copia admodum opulenta existant, nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem generale existat Studium litterarum, unde partium illarum plerique, commodo & usu studii parentes, vel hujusmodi litterarum imperitiæ subjacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiæ hujusmodi in eis sectantes incrementum. Verum oppidum præfatum, quod de temporali dominio ipsius Ducis existit, adeo rerum copia, aeris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum necessariorum commoditate per Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum, conservandumque studium aptum plurimum, & idoneum existere prohibetur.

§. 2. Quapropter ipsi Dux, Præpositus, Decanus, Scholasticus, Capitulum, Burgimagistri, Scabini, & Communitas considerantes attentius, quod inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta summo rerum auctori sacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa diving Majestati grata plurimum nullatenus ambiguntur, per quæ ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earumdem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliariis commodis subventionis præsidium efficaciter impertitur, generale litterarum studium in eodem oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinæ, atque sapientiæ atque sapientiæ se studiis exercentes sibi, & aliis meliores effici valeant & partium illarum prosperitatis, auctore Domino facilius incrementum sequatur.

§. 3. Et nihilominus Dux ipse una cum Burgimagistris, Scabinis, & Communitate hujusmodi, domos aptas, & loca convenientia illis cum scamnis, & aliis necessariis

Ducis Brabantie petitio nonnulla de Receptoris auctoritate & Scholasticum.

Domum aptam ad hoc eligi cum rebus omnibus opportunis.

riis officinis pro Magistris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus, & audientibus disputare, necnon eidem Magistris, & doctoribus legentibus de salario competentis annis singulis, vel alias de Beneficiis Ecclesiasticis providere.

Ducis Brabantie petitio nonnulla de Receptoris auctoritate & Scholasticum.

Necnon quod Rector Universitatis Studii hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem, & illorum servitores tam in civilibus, quam in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negotiis, & excessibus, sine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coercionem, & emendationem dictis Duci, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, & Communitati communiter, vel divisim in eodem oppido quomodolibet competentes exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coercionem, & correctionem hujusmodi a se penitus abdicare, & in Rectorem ipsum plenarie transferre, singulis quoque Doctoribus, Magistris, & scholaribus causa studii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo excedentibus pro tempore quæcumque sua, res, & bona secum asportandi, & ea pro suæ voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter & proponunt.

Ac Doctorum Privilegiis.

§. 4. Quare pro parte dictorum Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis, desiderant etiam, quod Magistri, Doctores, & Scholares prædicti pro potiori dicti Studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium Studiorum, quantum in ipsis Duce, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, & Communitate, & aliis ipsius Ducis subditis fuerit, gaudentes utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido generale litterarum studium in qualibet licita facultate erigere, & ordinare de benignitate apostolica dignaremur.

Martinus studium ibidem in qualibet facultate, Theologica excepta, instituit.

§. 5. Nos igitur, relatione fida post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam Oppidum ipsum aeris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariorum ubertate refertum, & alias pro hujusmodi studio locum aptum didicimus, pium, meritorium eorumdem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum & dogmatum ornatibus redimiti, succrescat, plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus, quod jamodo in dicto oppido generale in facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuo.

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

tuis futuris temporibus ibidem vigeat & observetur.

§. 6. Quodque omnes & singuli Doctores, Magistri, & scholares inibi omnibus & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus Colonie, Viennæ, ac Lipsiensis, Pataviensis, & Merseburgensis Diocesium oppidis studii causa commorantibus per sedem Apostolicam, vel alias qualitercumque concessis, gaudeant pariter & utantur.

Magistris, & Scholaribus ceterarum Universitatum Privilegia largitur.

§. 7. Singuli vero, qui cursu feliciter consummato in ea facultate, ita inhæere studio ut bravium obtinere meruerint, sibi, etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, sive Magisterii honorem petierint largiri, per ipsorum inibi Doctores, sive Magistros Præposito, quem Cancellarium Studii in oppido hujusmodi esse perpetuo volumus, si hic præfens fuerit, alioquin Decano dicte Ecclesie pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, & ab illis, si servatis consuetudine & modis super talibus in dictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei sufficientesque reperi, licentiam & honorem fortiantur & reportent antedictos.

De licentiam dis.

§. 8. Qui quidem præfentati quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine & approbatione in ipsa facultate, qua licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere & docere libere & licite ubique possint & valeant.

Licentiam ubique docere possunt.

§. 9. Rursus quoque omnium & singulorum causarum & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium, membrorum, ac servitorum eorumdem, sive Clerici sive Laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus & excessibus correctio & punitio, ac omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Studii in eodem oppido Lovaniensium, dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus successores Duces Brabantie, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve officiales pertinere omnimodo dignoscantur, præfatisque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communitati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem pro criminibus & excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi facultate & auctoritate penitus interdicitis.

Scholastico data facultas quæcumque cognoscendi causas ad Doctores, Scholasticos, & horeticque pertinentes.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

M m m §. 11. Vo-

Nisi Dux & Communitas promissis infra annum festo, hris literas vult.

§. 11. Volumus autem, quod nisi infra annum a data presentium computandum Dux, & Prepositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & Communitas supradicti, prout eos communiter vel divisim contingere censeatur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem a se abdicaverint, & eam in Rectorem ac Universitatem predictos transfulerint antedicta realiter & cum effectu, presentes litterae, & quaecumque inde secuta nullius existant roboris, vel momenti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere & c.

Datum Romae apud SS. Apostolos quinto idus Decembris Pontificatus nostri Anno Nono.

Dat. die 9. Decembris 1425. An. IX.

XX.

De Sacramento Eucharistiae Laicis sub una tantum specie juxta Constantiensis sancti Concilii ministrando.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Martini PP. pro Constant. Canonum observatione sollicitudo.

Apostolica Sedis praecellens auctoritas ad hoc libenter intendit, ut ea, quae per Constantiense Concilium, praesertim pro extirpandis haeresibus provide, & salubriter statuta sunt, ad notitiam Christi fidelium deducantur, & firmiter observentur.

§. 1. Hinc est, quod Nos tenore quarundam litterarum a dicto Concilio super quadam Constitutionem dudum per ipsum Concilium editam emanatarum, & in quodam libro in eodem Concilio conscripto, in quo etiam aliae ipsius Concilii Constitutiones, & litterae registratae inveniuntur, quas Nos in primordio assumptionis nostrae ad summum Apostolatus apicem ex certa scientia auctoritate apostolica approbando duximus innovandas, repertum & registratum, ut de ipso etiam alibi, ubi opportunum fuerit, plena certitudo habeatur, ad dilecti filii Magistri Michaelis de Brodatheutumcali Rectoris Parochialis Ecclesiae Sancti Adalberti sub Odegrassi Pragensis, Procuratoris Causarum fidei, asserentis se de ipso tenore pro stabilitate ejusdem fidei in Romana Curia & extra illam indigere, supplicationis instantiam de libro ipso extrahi, & praesentibus annotari fecimus, qui sequitur per omnia in haec verba.

§. 2. Sacrosancta universalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata Catholicam Ecclesiam representans ad perpetuam rei memoriam, Apostolica docet sententia de matrice Sancta & universali Ecclesia, quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut exhiberet sibi eam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; Quia vero in moribus, & consuetudinibus partis dissentio universalitatis Ecclesiae parit maculam, quae prorsus purganda est: turpis enim est omnis

Tenor laudati Decreti.

Procurator causarum fidei decretum de Communionis sub una specie ministranda ex regestris Actorum Concilii extrahi petit.

Diaecanos Locorum, sive Officiales eorum, aut Inquisitores hereticae pravitatis in Regnis seu Provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid forsitan fuerit attentatum aut praesumptum juxta Canonicas & legitimas sanctiones in favorem Catholicae fidei contra hereticos & eorum fautores salubriter adinventas. Item ipsa Sancta Synodus decernit, & declarat super ista materia Reverendissimis in Christo Patribus, & Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum in spiritualibus Vicariis ubilibet constitutis, processum esse dirigendos, in quibus eis committatur & mandetur auctoritate hujus Sacri Concilii sub poena excommunicationis, ut effectualiter puniant contra hoc decretum excedentes: eos, qui communicando populum sub utraque specie exorbitaverunt, & sic faciendum esse docuerunt, si ad penitentiam redierint, ad gremium Ecclesiae suscipiantur, injuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari. Qui vero ex illis ad penitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras Ecclesiasticas per eos ut heretici sunt coercendi: invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis: ut autem nostrae Constitutionis hujusmodi, ubicumque exhibita vel ostensa fuerit, ab omnibus adhibeatur major fides, eam praesentibus fecimus annotari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Constantiae decimo septimo Kalendas Julii anno a Nativitate Domini Milleimo quadringentesimo decimo septimo Apostolica Sede Vacante.

Copie Decreti fidei ad idem Papa.

§. 4. Volentes igitur, & eadem auctoritate decernentes, quod idem tenor plenam vim, plenumque robur per omnia habeat, & ei quodcumque, & ubicumque, sive in judicio, vel alibi exhibitus fuerit, stet firmiter, & adhibeatur plena fides, ac si litterae originales supra scriptae exhibita fuerint vel ostensa.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis & constitutionis infringere & c.

Dat. die 25. Januarii 1426. An. IX.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, octavo Kalendas Februarii Anno Nono.

XXI.

Prohibitio trahendi personas Ecclesiasticas ad forum saeculare.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD reprimendas insolentias transgressionum, eorumque praesumptionem resignandam, si nervus ecclesiasticae disciplinae lentescat, eorum voluntas proclivior sit ad peccandum, & exemplum impunitatis periculosus in alios derivatur. Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Propter quod ad praesidentis officium pertinet, sic debitam executionem adhibere justitiae, quod commissa jam puniat, & committendorum in posterum audaciam interdicat.

§. 1. Sane, sicut displicenter accepimus, nonnulli diversorum regnorum, & terrarum judices, alique officiales laici, & laicales personae, jurisdictionem in temporalibus exercentes, exercere facientes, non attendentes, quod laicis in Clericis, & Ecclesiasticis personas, & illorum bona, nulla sit attributa potestas, praetextu hujusmodi (quod asserant in suis dominiis ad se pertinere coercere via facti, quae vere, & sicte attentata asseruntur, etiam in quocumque loco sacro, vel religioso quantumcumque Deo dicato, ex quacumque causa, etiam si ratione delationis Corporis Christi; collationis Sacramentorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, venditionis factarum, aut aliarum rerum, & bonorum ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pertinentium quomodocumque, etiam si sola negatione, vel affirmatione turbatio facti interveniat, & ad eos recurratur, cognitionem ad se spectare, pro eo quod factum, & novitas quae praetenduntur, etiam sine, alia violentia, quamvis in loco spirituali, & in loco sacro sive religioso, eo quod immediate, ut praetenduntur, spiritualia non existant) propterea ministros Ecclesiae, & personas Ecclesiasticas, quantumcumque res, causa, vel occasio unde dependeat, & derivantur, pia, sacra, vel Ecclesiastica sit, aut spiritualis, ad forum suum, & ipsarum cognitionem trahunt, & respondere cogunt.

Abusus nonnullis hac in materia subortos dolerunt ex Parte Judicum.

§. 2. Necnon procuratores saeculares in Curii temporalibus multotiens agere procurant, ad quos (quod deterius est) nonnulli Praelati, & personae Ecclesiasticae in superbia, & elationem dati, ad superandum, & sibi subijciendum per tales inventiones, & cautelas, alias personas Ecclesiasticas, & religiosas, habent plerumque recursum, & propterea in eisdem regnis, & terris, civitatibus, castris, & locis, auctoritas, & jurisdictione Ecclesiastica penitus absorbetur, & nihilominus ipsi laici judices, alios laicos respondentes in foro Ecclesiastico super rebus quantumcumque Ecclesiasticis, vel spiritualibus, & concernentibus immediate Ecclesiasticas personas, ne respondeant, & iudicibus Ecclesiasticis, ne cognoscant, inhibitiones fieri sub gravibus poenis temporalibus faciunt, & procurant, & si fecerint, emendam pecuniariam excessivam exigere, ac vastatores in domibus, & piis aliis locis Ecclesiasticis, & religiosis inducere, ac loca ipsa, personaeque Ecclesiasticas, jocalibus & paramentis Ecclesiasticis, & bonis mobilibus, ac aliis spoliare, illaque vendere, & alienare, fructus quoque & proventus ad temporalitatem ad manus suas ponere, necnon diversas iniurias, & molestias reales, & personales eisdem personis Ecclesiasticis inferre non verentur, in Dei offensam, animarum suarum periculum, Ecclesiasticae libertatis vilipendium; & plurimorum gravamen, praedictum, & jacturam.

Tum ex parte Officialium Laicorum.

Sub penis itaque hic expressis causis, personarumque Ecclesiasticarum ad laicalia tribunalia trahi vetat.

§. 3. Nos igitur adversus talia praesumentium temeritatem remedia apponere, & super his salubriter providere cupientes, ac Concilii Milevitani, ac fel. record. Innocentii Papae III. praedecessoris nostris constitutionibus super hoc editis, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, ac nostra irrefragabili constitutione perpetuo duratura, tenore praesentium statuimus, decernimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, & singulae personae Ecclesiasticae saeculares, & regulares Ordinum quorumlibet, quacumque exceptione sussultae, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel alia quavis praesuleant dignitate, quae aliam personam Ecclesiasticam, Collegium, vel Conventum, in actione reali, mixta, vel personali, civili, vel criminali, etiam occasione cujuscumque submissionis, etiam juramento vallatae, vel alias ad forum, sive iudicium laicale, directe, vel indirecte (de qua in foro Ecclesiastico ordinari consueverit, possit, vel debeat, de jure, vel de consuetudine, aut alias cognosci) trahere praesumpserit, causam ipsam, & omne jus ei, sive eis, in possessione, vel petitorio in re, vel ad rem, causam, vel occasione hujusmodi quomodolibet competentes, eo ipso perdant penitus, & amittant, & singulae personae, excommunicationis, Capitula vero, & conventus, suspensionis, & interdicti sententias incurrant ipso facto, & si personae ipsae, & eis in praemissis adherentes, & servientes, in aliquo rebelles fuerint, & incontinenti non obedierint, omnes illas per privationem suorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, quae obtinebant, & in quibus, & ad quae jus quomodolibet competit, & inhabilitacionem ad alias in posterum obtinenda, coerceri & compelli volumus antedictas.

Laicoque officiales, complicesque talia attentantes excommunicationi adidit.

§. 4. Et nihilominus omnes, & singulos Judices, & Executores, Communitates, dominia, laicos, & laicales personas, postquam exceptum fuerit de non jurisdictione eorum, aut evidenter appareat hujusmodi cognitionem ad eos de jure non spectare, talia praesumentes, & ea fieri mandantes, seu eorum nomine, & mandato facta, rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel favorem, cujuscumque praegredientis dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, saeculares personas: eorum videlicet singulos officiales, quocumque nomine censeantur, & consiliarios, & privatas personas, quae praemissorum principales perpetratores existerent, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, nullusque ab eisdem sententis, per alium quam per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi valeat, sive possit, & praemissa omnia, non tantum ad futura sed etiam ad praesentia, & pendentia extendimus auctoritate memorata.

Et contra eosdem agi mandatur.

§. 5. Quodque etiam Procurator Fiscalis causarum Curiae Camerae Apostolicae contra culpabiles in praemissis desuper summaria informatione praehabita, per se, vel alium, seu alios, agere, & procedere possit & valeat, nihilominus concedentes.

§. 6. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de eorum propriis nominibus ac indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet constitutionibus, privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, de quibus etiam plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, in nostris literis habenda est mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.

Contrariis derogat.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, Kalend. Februarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Dat. die 7. Februar. 1428. An. XI.

XXII.

Jesuati, qui sub tutela Sedis Apostolicae suscipiuntur, a molestia qualibet Inquisitorum haereticae pravitatis liberantur.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

PLAE postulatio voluntatis, qua dilecti filii nonnulli pauperes Christi Jesuati communiter nuncupati, voluntariam paupertatem ducentes, dediti studio pia vitae, in diversis Italiae Oratoriis, domibus, sive locis, mundanis abjectis illecebris, cum adoptione voluntariae paupertatis, & virtutum Domino famulantur, non indigne merentur, ut Apostolica Sedes eos, eorum domos, Oratoria, atque loca benignis favoribus consoveat, & specialibus gratiis prosequatur, in iis praesertim, quae animarum suarum salutem, statumque respiciunt, & quietem.

Jesuati cum ab inquisitoribus, & eorum Officialibus molestentur.

§. 1. Sane pro parte dictorum pauperum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsi cupientes suos in caelestibus thesauros collocare, & ut ex eorum laudabilibus actionibus ab bene recteque vivendum traherentur alii per exemplum, in diversis locis sive domibus, quae pro eorum usu & habitatione perpetuis piis Christianidelium elemosynis, & suffragiis construxerunt, ut devotum sedulumque impendant Domino famulatum, ad quos plurimi ob eorum laudabilem vitam, & opera virtuosa gerunt specialis devotionis affectum, tamen nonnunquam contingit, pauperes ipsos per Inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus pro tempore residentes, & deputatos ab eis sub diversis praetensis occasionibus, fictisque coloribus indebite molestari. Quare pro parte pauperum eorundem Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsorum paci, & tranquillitati super iis paterna caritate consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur cupientes, ut dicti pauperes eo quietius & devotius in humilitatis spiritu altissimo famulentur, quo se noverint Sedis ejusdem uberiori gratia communitos, hujusmodi supplicationibus inclinati

ti

Martino sub Sede Apostolica protectione suscipiuntur.

Et Inquisitoribus jurisdictionem qualibet contra eosdem procedendi locorum ordinariis inconfutis admittit.

Dat. die 21. Octobris 1428. An. XI.

Exordium.

ti, praefatos pauperes praesentes, eorumque Oratoria, domos atque loca constructa, & construenda ubicumque fuerint constituta, cum personis, juribus, pertinentiis, necnon possessionibus, terris, rebus & bonis suis, quae in quibusvis locis in praesentiarum legitime possident, & in posterum dante Domino similibus fidelium suffragiis, aut alias justis titulis poterunt adipisci, sub beati Petri, ac ipsius Sedis, necnon Ordinariorum locorum, in quorum Civitatibus, & Diocesis, domus, Oratoria, atque loca praedicta constitunt, protectione, usque ad ejusdem Sedis beneplacitum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium suscipimus, atque nostra.

§. 3. Volentes, atque auctoritate praefata decernentes, quod hujusmodi durante beneplacito, Inquisitores praedicti nullam possint in dictos pauperes, domos, loca, jura, & bona hujusmodi, quacumque occasione, causa, vel praetextu, jurisdictionem, vel potestatem, sine praesentia, & voluntate ordinariorum, praedictorum exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede, vel ejus delegatis, aut Ordinariis supra dictis teneantur respondere, fel. rec. Innocentii Papae Quarti praedecessoris nostri, & qualibet alia constitutione Apostolica contraria non obstante. Decernentes insuper ex nunc omnes, & singulos excommunicationum, suspensionum, & interdicti processus, & sententias, quos, & quas contra effectum praesentium, & tenorem promulgari contigerit vel haberi, irritos pariter, & inanes.

Nulli ergo &c. Datum Romae apud Sanctos Apostolos, Undecimo Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Undecimo.

XXIII.

Quod Festivitas Sanctissimi Corporis CHRISTI etiam per octavam celebrari possit, apertis Ecclesiarum januis, tempore interdicti. Et qui eam piis operibus venerantur, Indulgentias consequantur.

De institutione hujus Festivitatis, ejusque Indulgentiis, vid. sup. in Urb. IV. const. XIX. Transisturus pag. 414.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

INEFFABILE Sacramentum, quod factus in aeternum Christus Dominus instantem, quam pro peccatoribus subire voluit, suae mortis tempore, nobis ut dignus eo resecti divinitatis ipsius participes finis in memoriale reliquit gloriosi Corporis, & Sanguinis ejus mysterium, praecipuis a fidelium quolibet attollendum fore recensentes honoribus, ac devotissimis laudum studiis amplectendum, mystica dispensatione thesauri fideles eosdem, quod tam-

pretiosissimi venerationi sacramenti sinceris affectibus, & dignis obsequiis ferventer intendant, excitare satagimus, ut hujusmodi in eis fructum mors afferat, & illis caelesti pabulo vegetatis ipsius institutio sacramenti proficit jugiter ad salutem.

§. 1. Sane dudum fel. rec. Urbanus Papa Quartus praedecessor noster ad orthodoxe corroboracionem, & exaltacionem fidei digne, ac rationabiliter statuens, ut de tanto Sacramento, praeter illam, quae dictum in Ecclesia fit, annuatim memoria foremnior, & specialior haberetur, & ad celebrandum ejus tam excelsum tamque gloriosum festum quintam post octavas Pentecostes feriam designans, ipsosque fideles ad colendum illud donis spiritualibus animarum volens, omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui in matutinali officio festi ejusdem in Ecclesia, in qua illud celebraretur interessent, centum: qui vero missae totidem, & qui in primis ipsius festi Vesperis similiter centum, qui autem in secundis totidem: Illis vero, qui Prima, Tertia, Sexta, & Nona, ac completorii horarum Officiis pro qualibet ipsarum quadraginta. lis autem, qui per octavas ipsius festi matutinalibus vespertinis mixta ac praedictarum horarum officiis interessent singulis octavarum ipsarum diebus, etiam centum dies de injunctis sibi poenitentis misericorditer relaxavit.

Hoc festum ab Urbano IV. institutum, nonnullis ecclesiis Indulgentias.

§. 2. Nos vero, qui hujus verriculamudi, superstitiosis heresum fomentis, guerrarum turbibus, necnon pestis, & aliarum, quae dictam ex divinae Majestatis, ut formidamus, offensa circumstrepunt calamitatum dispendiis fines (proh dolor) adducere cernimus passim deteriores, amplioribus spiritualis recompensationis impendiis fideles eosdem ad impertienda pro veneratione sacramenti hujusmodi, & ut illud quo pascantur, & servantur ipsorum corda, perlustrant, potiora reverentiae, & devotionis exercitia firmare summo opere cupientes, singulis ex eis vere poenitentibus, & confessis, qui & quoties in ipsius Sacramenti pro festo junium, vel loco illius aliud pium juxta suorum consilia confessorum opus fecerint, centum, & qui praemissa in Ecclesiis, quibus illa celebrari contigerit officiis interfuerint, necnon Episcopis, & aliis Praelatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quo minus eis in ipsius Ecclesiis interesse possint pro conservandis suarum dignitatum juribus, & alias legitime tunc impeditis, pro matutinali ducentos, & pro Missae officiis totidem, ac pro qualibet Vesperarum etiam ducentos: reliquarum vero videlicet, Primae, Tertiae, Sextae, Nona, ac Completorii festi octuaginta. Rursus autem in quibusdam octavarum diebus pro singulis matutinalium Missarum, & Vesperarum similiter centum, necnon reliquarum horarum officiorum hujusmodi quadraginta. Illi praeterea, qui processiones, in quibus ipsius vivificum Sacramentum, dicto festo juxta praefatarum ritus Ecclesiarum deferretur, continuo secuti fuerint, a qui-

Hujusmodi indulgentias amplius Martinus.

a quibuslibet in festo, & octavarum diebus hujusmodi pro pace, & tranquillitate Ecclesie missas devote celebrantibus pro singulis ipsarum, necnon aliis in eodem festo Eucharistie Sacramentum devote summentibus etiam centum, singulis annis. Profecto vice qualibet eis, qui dum Corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incensu luminari procedendo, vel sequendo venerantur, similiter centum, & qui tunc illud alias devote secuti fuerint, etiam quinquaginta dies de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confisi, de injunctis eis poenitentis misericorditer relaxamus.

Festum hoc in locis interdictis suppositis quomodo celebrandum.

§. 3. Quodque in festo, & diebus octavarum hujusmodi etiam in Terris, & locis Ecclesiastico quavis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, januis apertis, & alta voce excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis, & illis qui causam, vel occasionem hujusmodi interdicti dederint altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missae, & Officia praemissa licite celebrari possint, auctoritate Apostolica concedimus per praesentes, aliisque circa observationem interdictorum a nostris sunt instituta praedecessoribus, in suo robore duraturis.

Hanc Bullam Dominica Festum hoc procedente publicari mandatur.

§. 4. Et insuper universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & alios Ecclesiarum Praelatos monemus, & hortamur in Domino, ac eisdem per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districtae precipiendo mandamus, & in remissione peccaminum injungimus, ut per se, vel alios eorum subditis per singulas suarum civitatum, & Diocesum Ecclesias in Dominica feriam, & festum praedicta proxime praecedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti hujusmodi monitis, & exhortationibus, praesentium literarum continentiam, & effectum publicare, & insinuare, procurent, ut eodem suffragante mysterio subditi, & fideles ipsi, gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se pro ipsis immolavit hostiam, post hujus vitae cursum ad gloriam perducantur aeternam.

Transumptis danda fides.

§. 5. Verum quia difficile foret praesentes literas singulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, & sigillo alicujus Episcopalis, vel superioris Ecclesiasticae Curiae munito, tamquam praefatis si originales exhiberentur literae plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si praedictae originales literae forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 26. Maii 1429. An. XII.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, septimo Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Declarationes Regulae Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, ad ipsius Ordinis reformationem.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilecto filio Joanni tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Um generale Capitulum Fratrum Minorum in civitate nostra Assinate sit de proximo celebrandum, Nos quorum Ordinem inter ceteros religiosos Ordines, ob singularem devotionis ardorem, quem erga beatum Franciscum gerimus, paterna caritate prosequimur, cupientes, ut per Ministros, Officiales, & Fratres in dicto Capitulo congregatos, juxta praedicti Ordinis instituta talis reformatio fiat, quae Deo accepta, nobis grata, & ipsi Ordini conveniens existat, ac Christiano populo fructuosa, de tua circumspectione & sapientia, in nonnullis arduis nostris, & Romanae Ecclesiae negotiis comprobata, fumentes in Domino fiduciam specialem, etiam de consilio venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Romanae Ecclesiae Cardinalium, Tibi tenore praesentium committimus, & mandamus, quatenus te personaliter confersens ad Civitatem praedictam, ipsi Capitulo auctoritate nostra praesens, ipsumque pro tua prudentia dirigas, ordines, & disponas, ac salubri maturitate provideas, quod omnia, & singula salubriter, & sincere statuatur, & ordinentur ad honorem DEI, ejusque Ecclesiae, ac nostrum & Apostolicae Sedis obsequium debitum, & devotum, ipsius quoque Ordinis bonum regimen tranquillitatem, & pacem.

Cardinalis S. Petri ad Vincula futuri Capituli Generalis Praesidem facit.

pareant, & intendant. Nos enim sententias sive poenas quascumque inflixeris seu tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Obstantibus derogat.

§. 3. Constitutionibus Apostolicis, ac statutis dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indultis, ac concessionibus per sacrum generale Concilium Constantiense praefatis Fratribus concessis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 6. Junii 1430. An. XIII.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, octavo Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Cardinalis praedicti literae.

Joannes miseratione divina tituli S. Petri ad Vincula Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, Reformatore Ordinis fratrum Minorum, ac Legatus a latere, cum plenaria potestate ad Capitulum generale ejusdem Ordinis Assisi celebratum, sub Anno Domini MCCCXXX. de mensis Junii die 15. in festo Corporis Christi a Sede Apostolica specialiter deputatus, Venerabilibus fratribus Generali, Provincialibusque Ministris, ac universis & singulis fratribus Ordinis Minorum salutem, & sinceram devotionem in Domino Jesu Christo. Non est novum si pro reparatione rerum, ac temporum exigentia, leges innoventur humanae, quoniam etsi nihil sub caelo novum, plus tamen timeri solet quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter inhibetur. Et centies repetita placebunt, ac diversa in unum collecta, facilius breviter servantur, & quae usu vilescunt antiquo, pariter renovata delectant. Renovamini, inquit ille praeco refulgens, spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis, & nolite conformari huic saeculo, sed renovamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo Jesu, qui est caput nostrum, Creator, Dux, Redemptor, Dominus, & Magister. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quos non vocavit Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, ut veritatem annuncietis illius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, evangelice scilicet perfectionis Jesu Christi filii Dei, qui suae dilectissimae sponsae tenerimus praedilector & vagus, non cessat quotidie providere de remediis, & auxiliis opportunis, novellis eam floribus fulciendo pulcherrimis, sanctis scilicet desideris divinarum charismatum gratiarum, copiosius irrigando fructibus operum secundorum, tribuentium incrementa virtutum germine verbi. Sponsa siquidem Christi, Ecclesia sancta est, sed in proposito nostro Minorum Religio veritatem reformatam, quam altissimus Jesus Christus Dei Filius sibi quodam singulari

Bona reformationis expoint.

anulo mirifice desponsavit, quum ejusdem Religionis institutorem & ducem, suae sanctissime passionis privilegio decoravit, ac specialibus sigillis, sacris videlicet signatibus mirabiliter insignivit. Quae quidem sacra Religio, licet plantata sit super illo firmissimo fundamento, praeter quod nemo aliud ponere potest, quod est suum sanctissimum Evangelium, quasi ad modum fluctuantis naviculae procellis agitata ventorum, tentationum scilicet pulsibus vulnerata quamplurimis, tot indiget semper alme matris Ecclesiae providentiis, & favoribus, quot quatitur impulsibus, & vitiorum vulneribus sauciatur.

Quum nuper igitur proximis temporibus retroactis nonnullae querulae reclamationes, tum de scandalosis praedicatoribus, tumque de aliis discurrantibus, & insectis fratribus ejusdem Ordinis sanctissimi domini Martini divina providentia Pape Quinti sepius propulsaverint pias aures, & auditum, hinc est quod pro universali reformatione Ordinis praesentibus, infra scripta statuta recollegimus, ordinavimus, & qua supra Apostolica auctoritate confirmamus, authenticamus, & roboramus, ac ab omnibus & singulis fratribus ejusdem Ordinis volumus, & mandamus inviolabiliter observari, tam a capitibus quam a membris discurrentes secundum ordinem, & processum dictae Regulae, per duodecim Capitula districtae, & particulariter ordinatae.

Quam sit in Ordine Minorum necessaria.

Has igitur reformationes servari praecipit.

CAPITULUM PRIMUM REGULAE.

Quo ad primum Capitulum Regulae, quod incipit. Regula & vita fratrum Minorum, haec est, scilicet sanctum Evangelium Domini N. JESU CHRISTI observare &c.

Quia diu dubitatum & haesitatum extitit inter fratres, ad quae consilia Evangelica tenerentur;

Dicimus & declaramus, quod ad illa consilia fratres tantummodo obligantur, quae in ipsa regula praepertorie, vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa, juxta declarationem fel. rec. Clementis Quinti in §. 1. suae declarationis. Exivi de Paradisi, Cujus verba & tenorem hic inseri mandavimus videlicet. Declaramus quod illud, quod ponitur in regula, de non habendo plures tunicas quam unam cum caputo, & alia sine caputo: Item, de non portandis calceamentis, & de non equitando extra causam necessitatis: Item quod fratres humiliter induantur: Item quod jejunare a festo omnium Sanctorum usque ad Natale Domini, & in sextis feriis teneantur: Item quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae: Item quod Ministri, & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis sollicitam curam gerant: Item quod si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire: Item quod fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, quum ab eo fuerit eis

Ad quae consilia Evangelica Fratres teneantur.